in Additam. ad Voſſium in Diario Literator. Tom. XI. pag. 325. exemplaria Chronici hujus deſinere ſolent in eumdem Nicolaum Patriarcham fratrem Caroli IV. Imperatoris: attamen non deſunt & alia, quae a recentioribus interpolata producuntur ulterius.

Vix autem prodiit, ut praedixi, Hiſtoria haec inter Anecdota mea, quum Clariſſimus ac Illuſtriſſimus Praeſul Philippus a Turre Epiſcopus Adrienſis mihi per literas ſignificavit, ſibi eſſe multa, quae, ſi praeſenſiſſet conſilium meum, ſuppeditare potuiſſet, ad emendandum atque amplificandum Opuſculum iſtud. Sed quum in ejus morte virum amiſerimus rarae multiplicisque eruditionis, ſimulque varia ab ipſo excogitata in Literarum augmentum, ſpes quoque periit cujuſcumque ſubſidii referendi ex illius adverſariis in rem meam. Quod ergo poſſum, mantiſſam non contemnendam Catalogo huic ſubjiciam, videlicet *Antonii Belloni* Libellum *de Vitis & Geſtis Patriarcharum Aquilejenſium*, luce hucuſque carentem, & porro luce digniſſimum. Debeo hoc munus ſupralaudato Clariſs. Viro Apoſtolo Zeno, qui pro ſua erga me benevolentia MStum exemplar Opuſculi, ſibi jamdiu procuratum, deſcribendum lubentiſſime dedit Gherardo meo, tunc Vindobonae agenti pro Sereniſſimo Domino meo Mutinenſi Duce. Fuit autem *Antonius Bellonus*, quantum conjicere licet, patria Utinenſis, officio *Scriba*, hoc eſt Notarius, & quidem, uti plane videtur, Cancellarius Patriarchalis. Et is quidem breviter recenſet geſta *Dominici Grimani Patriarchae*, cui, ut ille ſcribit, *a libellis fui annis ſeptem*, niſi haec de Germano illius filio intelligenda ſunt: ſunt enim ibi dubia narrantis verba ex veterum Amanuenſium incuria. E vivis abiit Dominicus Patriarcha Anno 1497. Tum brevibus expedit Geſta *Marini* & *Marci* ex eadem nobili Grimanorum Familia fratrum & Patriarcharum, quos ambos, quum haec ſcriberet, vixiſſe teſtatur. Marcus autem, vivente adhuc, & cedente Marino germano ſuo, Aquilejenſis Patriarcha renuntiatus eſt Anno 1529. diemque ſupremum obiit Anno 1545. Quare iis temporibus haec literis tradita ab Antonio Bellono, nemo non videt. Utinenſium erit eruditi hujus viri memoriam pluribus illuſtrare; neque enim mihi aliud de illo adjiciendum ſuccurrit. Eo interim nomine Belloni foetum commendandum ajo, quod veteres tabulas Archivi Aquilejenſis ad Catalogum hunc contexendum conſuluerit, immo & ex iis excerpta quaedam in ſuam lucubrationem intulerit: quae induſtriae pretium Libri augere poteſt apud quoslibet amatores eruditionis antiquae. Haec igitur omnia ad inſtar Notarum, Anonymi Opuſculo ſubjecta volui. Ad haec alterum ſubſidium mihi e celebratiſſima, omniumque ditiſſima Bibliothecâ Vaticana procuratum eſt ſtudio doctiſſimi viri Hyacinthi de Mannis, Juriſconſulti Romani, cui quum nihil antiquius ſit, quam Italicae eruditionis honor atque incrementum, ego tum iſtud, tum alia beneficia debeo in communem utilitatem heic evulganda. In eadem igitur inſigni Bibliotheca aſſervatur Codex illuc ex Urbinate translatus, ubi Vitae Patriarcharum Aquilejenſium leguntur deductae ab Otthono uſque ad Annum 1445. Addunturque in fine jura & reditus Aquilejenſis Patriarchatus. Digna ſunt & iſta, quae in publicam lucem efferantur. Poſtremum tamdem locum obtinebunt Chartae nonnullae ad Aquilejenſem Eccleſiam ſpectantes, quae in Italia Sacra Ughellii hactenus deſideratae ſunt. Has mihi ſuppeditavit nobiliſſimus Vir, & qui in me amando nemini concedit, Antonius Rambaldus Collalti Comes, intimus Auguſtiſſimi Imperatoris Conſiliarius, facile paſſus, ut quae ipſe in ſuam eruditionem congeſſerat, ego in omnium utilitatem, delectationemque conferrem.